

4 Est fœdus Dei cum Abramo initum, & populorum Cananæorum catalogus. Inde ad finem.

## PRIMA PARS CAPITIS

### Consolatio & querela Abrami.

- 1 Post ea transacta, fuit verbum Iehouæ ad Abram in visione dicendo: ne timeas Abram, ego clypeus sum tibi: merces tua ampla valde.
- 2 Et dixit Abram: Domine Iehoua, quid dares mihi, cum ego incedam liberis carens? & filius procuratoris mei est Damascenus Eliezer.
- 3 Præterea dixit Abram: Ecce mihi non dedisti semen, vnde ecce verna meus heres meus erit.
- 4 Et ecce verbum Iehouæ fuit ad eum dicendo: Non erit heres tuus iste, sed qui egredietur è visceribus tuis, erit heres tuus.
- 5 Et eduxit eum foras, & dixit: Suspice nunc cælum, & numera stellas, si poteris numerare eas, dixitq; ei: sic erit semen tuum.
- 6 Crediditq; Iehouæ, qui imputauit ei, fidem ad iustitiam.

### EXPLANATIO.

1, **P**OST EA TRANSACTA FUIT VERBUM. Prima parte describitur Abrami consolatio, & querela (quæ fuit occasio repetitæ promissionis) & confirmatio, & eximia fides atq; iustificatio. **P**OST EA TRANSACTA. Hebr. *Post hæc verba*: est nexus sequentium cum præcedentibus: Postquam reuersus erat Abram victor ex prælio, honorificeque demissus à duobus regibus Salem & Sedom, Deus iterum ei apparet, & loquitur in visione. Accipio igitur, quod eodem anno, ætatis videlicet 84. Abrahami victoria & visio ista contigerint.

FUIT VERBUM IEHOVÆ AD ABRAHAM. Phrasis commendat Propheticam authoritatem Abrami: Ita enim loquitur scriptura, quoties diuinam authoritatem oraculis prophetis tribuit: *Factum est verbum Iehouæ ad Iesaiam: ad Amos*: ita hic: ad Abram, & ideo infra Propheta nominabitur Abram. **I**N VISIONE. Reuelationum genera olim erant præcipue quatuor. Primum per visionem propheticam, quæ erat imago illustris rerum futurarum vel occultarum mentibus diuinitus monstrata prophetis vigilantibus, cuiusmodi fuerunt visiones Ieremiæ, E-

A zechielis, Amos, Zachariæ, Petri, Actorum 10. Pauli, Actor. 23. & Ioh. in Apocalypsi. Talis visio hic Abramo exhibita fuit. *Alter modus* erat somnium propheticum, quando Deus mentibus dormientium exhibuit cognoscendas res occultas, idque non vno modo. Aliquando monstrauit etiam non conuersis imagines non intellectas: vt Pharaoni, Nebucadnezari. Aliquando & harum imaginum interpretationes ostendit sanctis, vt Iosepho, Danieli. Aliquando simpliciter quid vellet, in somnio monuit: vt Iosephum, ne desereret Mariam, magos, ne reuenterentur ad Herodem: Mariam & Iosephum, vt fugerent in Ægyptum, indeque redirent: *Tertius* per manifestam apparitionem & sermonem Dei siue figurarum involucri, idq; vel per se immediate: vt Mosi, vel per angelos, vt Abramo infra c. 22. Gideoni, Iud. 6. 12. Manoæ, Iud. 13. 13. &c. De his trib. modis dicit Deus Num. 12. *Si propheta Domini est inter vos, per aliquam visionem me ipsum notum faciam ei, aut per somnium alloquar eum. Non sic seruus meus Moses, cui ore ad os loquor palam, & non per enigma, aut figuras Dominum videt. Quartus modus* erat, quando loquebatur Deus populo per prophetas dicentes: *Audite verbum*

Quatuor  
olim reuelationum  
genera  
vera.